



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. II. Doctrinæ ciuilis neceßitas, vtilitas, dignitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Experientissimi Hannibalis errata.

Hannibal Romanos vincere potuisset, nisi inurbanitate peccasset.

Speciosa dictu, exitu perniciofa.

Variis politici.

Vetera cum iudicio audienda, nulla enim facula sunt avaritia.

Arhei pseudopolitici noxii.

Phormio? Ne scilicet perfide ageret, ne crudelis esset in victos, inexorabilis in deditos, ut victoria vteretur, ne militem campanis deliciis eneruaret, ne cum Scipione sine aliquo suo commodo depugnaret, ne omnia in discrimen unius praelii coniceret. Denique necesse erat, eum, qui Romanos Antiochi viribus, & vellet, & posset vincere, ut comitate, si adulationem fugiebat, regem demereretur; at ille barbaro fastu, regem mollioribus suorum sermonibus assuetum a se abalienauit, & vno dictorio Romanos summis periculis exemit, cum enim illi Rex exercitum vestitu precioso, armisque fulgentem ostentaret, atque ex Hannibale: *Anne hac Romanis satis fore arbitraretur? quareret; Plane, inquit, etiam si sint auarissimi: quia inurbanitate regium apparatu, omnes eius duces, atque adeo Antiochum ipsum cum irrisisset, ab indignantibus contemptui habitus est, atque ita vno dictorio plus ille Romanis, quam tot legionibus Scipio profuit. Quod si copias illas approbasset sensumque; exercuisset, novum militem legisset, non difficile fuisset tantis opibus Romanum imperium pessum dare. Sed fugit magnos viros saepe in maximis negotiis ratio, & politicos exercitissimos vera politica ratio, quod Hannibali omnino contigit, popularis Reipublicae gnaro, regum inexperto; dum enim exul ea libertate regem tractat, quasi Carthaginis Consul cum aemulo senatore contenderet, sui, patriaeque liberandae pulcherrimam occasionem perdidit. Nec me mouent bullata turba, acumen responsionis admirantium, & experientiam Hannibalis extollentium, cum experientiam intra vnicam Carthaginem, quasi in lacum angustum inclusam, fateantur in Oceano, & varietate Rerum publicarum, ac nationum cursum tenere non posse. Quicquid enim Hannibal post egerit, nunquam obtinere id potuit, ut suo arbitrio bellum administraret. Experientia itaque quamvis laudabilis, tamen semper mutila est, saepe in ea Republica, in qua nemo sapiens est, in qua, ob getis stuporem, in proverbium senatus venit.*

Atque haec ad meam excusationem sufficere arbitror. Quod si necessitatem harum disputationum, quam nostrorum licentia temporum adfert, animo perpendam, omnes profecto intelligemus, iure merito, planeque necessario huc me labore suscepisse. Et enim non vnum genus hominum hoc tempore Reipublicas evertit, sed plurimi, qui se tamen politicos haberi, & dici postulant. Quidam sine literis, sine experientia, suo sensu nituntur, nouaque ac mira quaedam excogitant, qui ideo minus obsunt, quod in ipsa rerum molitione, & initiis fere concidunt. Nonnulli ita veterum institutis inhaerent, ut nihil nisi ex Atheniensi spartana, Romana Republica probent, magnis in erroribus illi versantur: nam primo necesse est, ut omnes post Augustum natos, regnandi & consulendi ignaros esse iudicent, adeoque ipsum Augustum, qui vetera statuta cuncta pene mutauit, quamquam nomina, speciemque, ut populo imponeret, fere retinuerit. Quis enim nescit quid inter consulem Caesaris asseciam, adulatoremque; & consulem illibatae libertatis interfit? Qui igitur in ipsam veritatem oculum mentis intendet, multa in veterum Republica haud proba, pleraque in nouis regnis, & vrbibus meliora inueniet: Errant plerique etiam saepe iudicio, & affectu, nunc hunc, nunc illum laudant, & sunt in partibus; plerique victoribus patrocinantur, & quod vltimum est moribus humanis, ad felicem parietem inclinant, multi ut delectent, & operi admirationem concilient, speciosa, quam vera malunt dicere, & scribere.

Hodierno autem tempore inualuit, & pene multis locis praevaluit detestabile genus pseudopoliticorum, qui pro vera republica & legitima

hoc est, impiorum, perditorum, ac nefandissimorum hominum ciuitatem exstruunt, quibus patrum saeculo facere, quia multa regna aduulsi, Nicolaus Machiauellus praetulit. Cum enim religionem imperio accommodare, cum vitia, erroresque; regni causa probare, iustitiam vilitati praepone, factiones admittere aliaque de quibus suis locis agemus, docet, quid agat aliud, quam ut principem iniustum, impium, versutum, simulatorem, atque hypocritam efficiat? Quia quidem in re ab ultimo fine recedit, ideoque ruinam aedificat, & cum in continuo errore versetur, diuina sapientia destitutus, ne humana quidem prudentia principem informat, cum neque hypocritam perpetuo celare possit, nihil enim simulatum potest esse diuturnum, & patefacta semel perfidia, simulatioque; in perpetuum fidem auferat. Imperium autem, cui nec subiecto tum nec vicinorum vllus credit, tenere nemo diu potest. Hos contra, veram, solidam, diuinis legibus fundatam naturali ratione constitutam, vera prudentia, religione, virtute armatam regnandi artem, potentiamque demonstrare mihi constitutum est, nec meo tamen solius sensu, verum ex diuinis literis, sanctorum patrum institutis, legitimorum principum legibus, iusta consuetudine, rerum publicarum ordine ac modo, probata historia, exemplis, & ratione, iudicioque; hominum naturali, atque ita quod ad securitatem gubernationis & maiestatem, ad tranquillitatem commodaque; subditorum, ad omnium vero, tam rectorum, quam populi salutem, ac felicitatem pertinere iudicaui, in medium proferam.

CAPVT II.

Doctrinae civilis necessitas, utilitas, dignitas.

§. I. Quidam, non quia dubia sunt, sed ordinis causa disputant: tale est, quod de necessitate, utilitate, dignitate doctrinae civilis dictum sum, quam ego inter omnes vel maxime necessariam iudico. Cum enim natura sua homines ad societatem, mutuamque; communicationem ferantur, aliorum hominum beneuolentia, auxilioque; vtantur, neque enim viuere more Schytarum, Hamaxobiorum, aut *omogadon* Arabum humanum genus in vniuersum, quamque nec barbarorum illa feritas sine imperio esse omnino potuit, a Deo est permillum. Respublicas constitui oportuit. Societatem igitur inierunt inter se homines, & rempublicam instituerunt. In ea necessarius est *ἡ δὲ ἀρχὴ τῶν καὶ ἐκκελευσίων*, imperantium, & parentum ordo, vicissitudoque. Ordo tam necessarius, ut potestatem malis permittere, quam nulla potestate contineri homines Deus maluerit; adeoque vni impio multos subesse iustos, quod nulli subesse melius duxerit. At vero si politia necessaria est, etiam politicae necessaria est; quomodo enim vel recte imperabitur, vel parebitur, si gubernandi parendique prudentia destituantur? Regnorum fere clades, & felicitas ex imperantis errore, vel prudentia nascitur. Illi ut docet Augustinus (lib. 5. ciuit. c. 19.) qui vera pietate praediti, bene viuunt, si hanc scientiam regendi populos consecrati sunt, nihil est felicius rebus humanis, quam si Deo miserante, habeant potestatem.

Necessitatem illam declarant etiam amplius morosa subiectorum ingenia, adeo quidem ut multo facilius sit inuenire virum fortem, qui hostem vincat, quam prudentem, qui ciuem regat. *Δύσκολόν ἐστι τὸ τῆς τιμῆς ἀνδραγαθόν, μωροῦ δὲ καὶ ἀδύνατον ἐστὶν ἄνθρωπον εὖ διακρίνειν*, neque seruitutem, neque libertatem ferre potest, sub leni imperio lasciuat, sub aspero fatiscit, sub vtroque contra imperantem insurgit, aut si conatus metu seuerioris potentiae compescitur, querelis se vlscitur, & consolatur. Quanta igitur opus est arte, ut hoc animal

Arhei à fine ultimo desciunt.

Ita societas viuendi est necessaria, ita eius societatis cognitio.

Ordo necessarius.

Felicitas reipublica bonus rex.

Difficilis res imperium

mal ferox, superbum, varium, instabile, praesidens, nulli minus aequum quam ei, cui parere cogitur, ad recti normam incedat, vt tot hominum millia eodem tendant, & quidem per tam diuersa itinera vnicum, cumq; optimum finem consequantur? Agrum, & vineam non nisi perito cultori permittimus, nemo se nauclero credit ignaro maris, & fluctuum, ne imperitum quidē tibicinem conuiuuiis adhibemus, & grādem illam nauem, tot animas ferentem vnus inscitiā; ignauiaq; periclitari patiemur? Imperium igitur necessarium est, & imperii administrandi scientia, quā difficilior est, quia bonis & malis viuendi legem, modumq; praescribere cogitur, & bonus quidem quisq; facillime regitur, malus difficilime; sed tamen & ille regendus est, ne noceat bono, ne quamuis malus esse non desinat, nō possit tamen, quae vult, mala facere. Hic perpetua vigilia opus est, vt seaturigo vitiorum obturetur, ne in proba profundatur, & insigni dextertate, ac sciētia agendum, vt si venenum effuderit, ita auertatur, vt quā minima aliorum noxa, defluat.

Imperantē
fatigat ma-
lorum pra-
uitas.

Magistra-
tus insignis
medicus est.

§. 2. Magna est ac diuina plane scientia medicorum, qui corpus humanum, tot, tamq; variis mēbris conuinnatum, tam contrariis muneribus organa destinata, venis, arteriis, visceribus, musculis, humoribus, spiritibus constantem machinam ita curant, vt omnium partium ad omnes partes analogiam, symmetriam, amicum consensum tueantur, atq; hoc cōsequantur, vt omnium temperatura ac constitutio omnibus suauis sit, ac propicia, quodlibet membrum a quolibet foueatur; at vero in principe tanto illa scientia est operosior, quanto maius est, atq; a se magis dissidens corpus reipublica, quam corpus humanū, tanto sublimior est; quanto dignius est consulere omnibus quam singulis. Prudenter magnus Philosophus infelicitas Cātari infelix magister: Omne hoc quod vides vnum est, membra sumus corporis magni. Tuum est o princeps corporis magni, corporis liberi, membrorum a se distantium, mēbrorum sibi mutuo infestorum, membrorum contra caput suum, hoc est, rectorem, rebellantium, seruare concordiam, tranquillitatem, vnitatem, amorem, hoc quam exquisiti artificii sit, quam illuminata prudentia, nos docet eorum paucitas, qui hoc potuerunt, & multitudo eorum qui non potuerunt. Exemplis certare si libeat, singulis opponam centena. Magna vis est ordinationis diuinā, vt sit in mundo potestas, & potestas a Deo, etiam cum a bonis defertur malis, vel bonis a melioribus, sed magna temeritas sine regendi scientia potestatem exercere.

Turbata
republica
priuata pe-
reunt.

§. 3. Cum male respublica administratur, cetera omnia suis finibus destituuntur, nam mercatura in fraudes, & imposturas desinet, nauigatio in piraticā, agricolatio in discordias, iudicia in rapinas, militia in latrocinia, artes liberales in desidia, religio in superstitionem, sacra in nudas & inanescerimonias; publicum enim vitium virus suum omnium priuatorum actionibus communicat, atq; ipsa ornamenta ad exitium ciuitatis vertuntur. Huius igitur scientia necessitas, & necessitati inclusa utilitas est demonstrata, de dignitate pauca dicēda; pro dignitate enim nihil satis dici potest.

Politice sci-
entiarum
humanarū
est praestan-
tissima.

§. 4. Cum imperandi scientiam nominamus satis eam laudasse videmur: Est illa omniū artium domina, omnium actionum ciuiliū moderatrix, societatis humanae conseruatricis, omniū humanarum scientiarum maxima. Ita philosophorum prudentissimus iudicat Arist. l. i. pol. c. i. Quandoquidem, inquit, omnem ciuitatem videmus societatem quandam esse, & omnē societatem boni alicuius gratia coalitam esse, (eius enim, quod bonum videtur, causa omnes omnia faciunt, manifestum est omnes societates ad bonum, tāquam scopum aliquem tendere, μάλιστα δέ, & το κυριώτατο πάλην, η πάσην κυριώτατην,

η πάλην δέ, η κοινωνία η πολιτική. Eam vero quae est omnium societatum principis ac domina, hoc bonum sibi propositum habere, quod omnium est praestantissimum, hoc vero est, quae ciuitas, seu Respublica appellatur, seu societas ciuilis. Societatis igitur humanae instituendae ac conseruandae scientia praestantissima sit oportet, quae scilicet propositum habeat sibi publicum bonum. Hinc & diuina maiestas tantum regno splendorem circumdedit, tot ornamenta affinxit, vt ostenderet maximum opus esse mūdum gubernare, hinc Deorum nomine principes dignatur, quod diuinae potestatis participes sint. Sed nolo hac in re diutius versari. Satis est iniqua multorum ambitio, etiam si laudando regna non irriteretur: vtinam cognitionem & facultatem imperandi, ante imperia ipsa sibi comparare studeat. Verum fieri aliter vt plurimum experimur. Τεγανίς χεῖμα σφαλερὲς πολλοὶ δὲ ἀδύνη ἐγείναι ἐόν. Imperium Imperare est res quidem lubrica, sed eius multi sunt amatores. Clarus prudenti regni nitor fulgore falso oculos aufert, honoris exordia laeta sunt, dum publica gratulatione aeger animus titillatur, mox consequitur cura, & verus laborum aestus. Verum decepti laudant maiestatem, & imperium, vident enim vt recte iudicauit Socratis discipulus, τὸ μὲν πρὸς ὄψον ἡδὺ, τὰ δὲ ἐν δούρῳ λυπηρὰ. Frontem quidem & vestibulum blandiens, quae vero intra domum sunt, misera.

Potestas à
Deo orna-
ta.

Clarus prudenti-
bus est gra-
tium.

§. 5. Tam ingentem curam, laborem, miseriam, toleratiam bonis quidem principibus aeterna maiestas, quae sine anxietate mundum administrat, mundani honoris specie, & supermundanae gloriae veritate compensabit, mali vero rectores inanibus inhiantes sola vanitate contenti, imperium, hoc est, alienae salutis curam cum odio saepe publico suscipiunt. Misera quidem res, sed vilitata, tot mala nullo fructu, ne spe quidem boni alicuius suscipere.

Hoc etiam lectorem monendum duxi, in politicis disputationibus non posse nec debere eam, quae sputatio in Phisicis, aut Mathematicis adhiberi solet, & πρὸς λόγους tenuem, acutam, demonstratricem facundia; neque enim Principem, vt in Scholis disputet, sed vt populos regat instituendum suscepi, neque in rebus moralibus, & humanis, quibus σπείκεται, conuincuntia, clementia, saepe etiam seueritas, & grauiore veris minae interueniunt, apodicticæ ostensiones vsurpari rei natura, & ratio tractandi permittit.

Morales di-
cutionibus non posse
nec debere eam, quae
sputatio in Phisicis,
aut Mathematicis ad-
hiberi solet, & πρὸς
λόγους tenuem, acutam,
demonstratricem facundia;

§. 6. Denique nec hoc celandum existimo. Oprimam quidem Rempubicam querere me, eam religionem, virtutibus, institutione, legibus, magistratibus Ecclesiasticis, ciuilibus, potentia togata, & bellica contra internum externumque hostem munire, non tamen Rempubicam Platonice constitutur; ille enim, qualis optari potest, ciuitatem nobis describit, non quae in hoc mundo, hoc est malorum congerie & prouincia improbitatis esse potest; neq; enim de illis quae nunquam fuerunt, nec erunt, sed de Rebus publicis, quae sunt, aut esse possunt, sermonem instituam. Opto quidem ego Rempubicam in qua optimus, & sapientissimus princeps semper amore, & aequitate ciuibus vt pater liberis imperet, in qua boni ciues inter se concordēs, principi obtemperantes, omnes honesta cupiant, ac sequantur. Verum ille Respublica in Outopia sunt, ego de nostris agere conitui; Eas instruere in quibus pauci optimi, multi mediocres, & magis extra vitia, quam cum virtutibus, non pauci pessimi, qui solo timore legum continentur, neque publice sint criminosi. Aliam meliorem Rempubicam Sol nec oriens, nec occidens vnquam vidit, sed multas saepe deteriores; quorsum igitur ideis, & superuacuis speculationibus indulgeam, quibus nec praesentia bona defendi, & promoueri, nec insitis iam malis medicina fieri, aut in-

Rempubli-
cam, quae es-
se potest,
non ideam
abstractam
docebo.

stantibus occurrere potest? Statum ergo reipublicæ ut recte monet Aristoteles lib. 4. pol. c. 1. Τὸν δὲ συστάτον, eum qui esse potest, consideremus. Eumque si optimum facere non possumus, à pessimo tamen quam longissime abducamus. Alioqui si talem rempublicam unquā fuisse constaret, sperari etiam iam posset. Non omnino vanum est, quod ait Seneca Ep. 90. Meliora mundus nondum effusus dedit. Et Poeta sæculi sui os or, & cirrifer:

Vetustiora
videntur
meliora.

Aliter tunc orbe nono, caloque recenti
Vivebant homines.

Et forte Plato aliquando tam sanctam rempublicā fuisse suspicatus est; οἱ παλαιοί, inquit, κρείσσορες ἡμῶν, & ἐγγυτέρω θεῶν οἰκόντες (Pol. 2.) Prisci meliores nobis fuerunt, & propius Deos habitaverunt. De multis concessero, de pluribus nego; memini duobus fratribus, mundi hereditatem angustam fuisse, deinde orta bella Gigantum, & mox totum genus humanum relictis in semen octo animabus, haustum undis & inter hos tamen irrisorem Chamum, Bella regum ante ipsam arcam, & senem Noe; Sodomæos ignes, Chanaanæorum, Horæorumque excidia. Fuerunt igitur & tum vitia, & vitia plurima, atrociora, & nostris sceleratiora tempora; dum historiam lego, suorum quemque temporum accusatorem intelligo, laudatorem veterum, sed profecto causa est, quod mala nostra cum dolore, & metu sentimus, præterita fallendi temporis causa legimus.

Cur priscæ
laudamus.

Fugere pudor, verumq; fidesq;
In quorum subire locum si audesque, dolig.

Fugere hæc tria bona, sed inde, ubi fuere, multis nāque locis nec pudor, nec veritas, nec fides, nisi in paucis admodum fuit. De republica igitur acturus, ita rationes componam, ut statuam in ea multos esse malos, omnes autem bonos maiore in spe, ut fiant boni; principem vtriusque consulere oportere.

C A P V T III.

Reipublica definitio.

§. 1. **N**OMEN Reipublicæ latissime accipio, ut Monarchiam, Aristocratiam, & Πολιτίαν proprie dictam, seu populi regimen complectatur. Neque in latitudine imperandi, aut arcis terminis regnorum discrimen statuo. Nam & parvum oppidum Rempublicam vocare non dubito, & vnius civitatis dynastiam, regem. Græca dictio πολιτεία non eodem modo accipi consuevit, nam aliquando preste dicitur pro ea reipublicæ forma, quæ popularis est, Aristoteles lib. 4. pol. c. 8 vocat μίξιν ἀριστοκρατίας & δημοκρατίας, temperatam ex paucorum, & multitudinis dominatione. Et lib. 1. pol. c. 1. δοτὶ μὲν οὐτὶ οἰονταὶ πολιτικὸν, & βασιλικὸν, & οἰκονομικὸν, & δεσποτικὸν τὴν αὐτὴν οὐ καλῶς λέγουσι. Quis Politicum, Basilicum, Oeconomicum, & Despoticum eundem esse aiunt, non recte dicunt. Hos enim non multitudine modo, & paucitate, sed etiam specie differre existimat. Politicum, ait, qui vicissim imperat, & paret, Basilicum qui solus imperat, & non paret, aliam tamen esse ait in ipsa reipublicæ gubernatione diversitatem, atque ita dicitur πολιτεία preste sumpta. Aliis tamen locis Aristoteles pro omni Republica Politiā interpretatur. Nam libro 3. pol. c. 14. ἴσως, ὅτι καλῶς ἔχει μὲν τὸς εἰρημένους λόγους μεταβιβῆναι, & ἐκείνους ἀπὸ βασιλείας, & αὐτὴν γὰρ τὴν οὐδὲν πολλὴν μίαν τὴν ταύτην. Rectum fortasse fuerit post hanc orationem alio transire, de quo tractare. Bene enim institutarum Politiarum vnam, dicimus esse regnum. Quin ipse acceptionum differentiam discretis verbis expremit, de moribus lib. 8.

Politia duplex
significatio.

c. 1. Πολιτεία δὲ τὴν εἰδήν τετα, ἴσα δὲ ἡ παρὰ τὸν αὐτὸν τὴν αὐτὴν, ἐστὶν ὅτι μὲν πολιτικὴ, ἐστὶν αἰτία τῆς ἀριστοκρατίας. Τρίτη δὲ, ἡ ἀπὸ πλεονεξίας, ἢ πλεονεξίας καλῶν. Πολitia tres sunt species, totidemque ab illis aberrationes seu corruptiones bona politie. Sunt autem politia, regnum, & optimatum gubernatio, tertia vero, quæ est ex censu, quam proprie πλεονεξία apparet appellari, hanc plurimi politiam vocare consueverunt. Duplex igitur politia est prior quæ tres species continet, & quæ trium specierum est ultima, quod monere debui, ne de verbis lis deinceps nobis intendatur. Quin & civitatis nomen sic usurpant latini. Plin. lib. 7. Regiam civitatem Aegyptii, popularem Attici, &c. Et Cicero lib. 3. de legibus. Sed quoniam regale civitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni, quem regis vitis repudiaturum est, nomen tantum videbitur regis mutatum, res manebit, si vnus omnibus reliquis Magistratibus imperabit.

Civitas la-
cinis quid?

§. 2. Politian igitur seu Rempublicam Aristoteles definit lib. 3. pol. c. 6. in hunc modum. ἡ δὲ πολιτεία πόλεως τῆς τῶν πολλῶν ἀρχὴν καὶ μέγιστη τῆς κυρίας πάντων. Politia seu Republica est civitatis ordo ac magistratuum tum aliorum, tum præcipue eius, qui omnium supremus est. Plutarch. Republica est corpus quoddam concinnatum membris; quod diuini muneris beneficio animatur, & summe æquitatis agitur nutu, regiturque quodam lumine rationis.

Politia or-
do est.

Scipio apud Ciceronem, referente S. Augustino lib. 2. de ciuit. Dei cap. 21. Rempublicam dixit esse rem populi. Populum autem non omnem cæterum multitudinis, sed cæterum iuris consensu, & utilitatis communione sociatum esse determinat. Hinc colligit, tunc esse rempublicam, id est rem populi cum bene ac iuste geritur, siue ab vno rege, siue a paucis optimatibus, siue ab vniuerso populo. Populus autem continet omnes qui in republica sunt, cum enim absolute populus dicitur, etiam rex, & senatus in populo censetur. Obscura hæc est definitio. Nam ager, moenia, ædificia, porticus, aliaque sunt res populi, nec rempublicam tamen illam constituunt, sed Reipublicæ ornamenta, vel adiumenta, quin & æs alienum, similiaque detrimenta res populi sunt. Deinde populus ipse est pars Reipublicæ materialis, cum cæterus vocetur, nec populus tamē recte dicitur res populi, si vero in abstracto, ut vocant definire malis, minus erit pars Reipub. populus. Iustus Lipsius lib. 2. c. 1. Vitam civilem definit, quam in hominum societate mixti degimus, ad mutua commoda sine vsu. Eius rectores nominat prudentiam & virtutem, recte sane ne commoda, & vsus, ad solam utilitatem & iucunditatem, sed præcipue ad honestatem referantur, has ego definitiones verbis magis, quam sententia discrepare arbitror quia autem non Stoicis, aut Spartiatis, sed politicis, & populo scribo, visum est mihi definitionem quæ omnes causas contineat, eamque in concreto, ut facile percipiatur, dare. Est igitur Republica hominum cæterus, iuris consensu, & utilitatis communione ad bene beateque viuendum naturæ ductu sociatus.

Republica
est res po-
puli.

§. 3. Causa efficiens est naturæ ductus quidam & instinctus à Deo infusus, ideo & Deus causa est, quæ enim à natura, & in natura sunt ad Deum referuntur. Quapropter recte coneludit Aristoteles, αὐτὸ πᾶσι πᾶσι φύσις ἐστὶ. Ideo omnis civitas natura est. Et polit. 1. cap. 2. Ex his igitur constat, civitatem in iis rebus quæ natura constant, numerandam esse, & hominem civile animal esse naturæ, & eum qui naturæ impulsu, non fortune culpa civitatis sit expers, aut esse improbum, aut hominem meliorem, ut is, in quem ab Homero hoc maledictum coniectum est.

Republica
secundum
naturā est.

Ἀφῆρτος, ὁ δέμους, ὁ ἀνέσθου.
Sine curia, sine iure, sine lare.

Qui